

7736

55 67

Π i
771

2. D. B. V.
DE

JEZABELE THYATIRENORUM PSEUDO-PROPHETISSA

ad Apocal. II. 20.

PRÆSES

PAULUS ERNESTUS JABLONSKI,

S. S. Theol. Doct. & Professor P. O.

ET

RESPONDENS

JOHANNES CHRISTOPHORUS SACHSE,

Berolinas S. S. Th. C.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



САРКАУЕ
СОФН
АУМНА

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(GALE)

publice different
IN AUDITORIO MAJORI
D. XVIII Mart. MDCCXXXIX.
Hora X. matutina.

Francof. ad Viadr. Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX.

DR
G. O. S. N.

ALBERT
R. H. O. R. O. U. I.

ALBERT
R. H. O. R. O. U. I.



ALBERT
R. H. O. R. O. U. I.





§. I.



Um haud ita pridem solertissimus *Scribendi*
quidam Theologiae & historiae Ec- *occafio* &
clesiasticae cultor, Dissertationem *argumen-*
de Ecclesiae Thyatirenae, ad quam *tum.*
Epistola Apocalyptica extat, tem-
pore Johannis Apostoli existentia,
a se conscriptam non modo mihi

perlegendam obrulisset, sed ad eandem etiam publice
in Cathedra nostra Academica secum defendendam
me invitasset, ego vero honestae huic ejus petitioni
non potuisssem non annuere, Epistolam hanc Domini
ac servatoris nostri ad Ecclesiam Thyatirenam quae in
Apocalypsi JOHANNIS cap. II. à v. 18. ad finem usque
capitis legitur, accuratius, quam alias ante hac, ex-
pendere & sollicita meditatione persequi cœpi. Et
quantum quidem ad ipsam Ecclesiam Thyatirenae, tem-
pore Johannis Apostoli, existentiam attinet, quam
haeretici quidam Seculo III. molimine, ut mihi vide-
tur, propemodum ridiculo, negare ausi sunt, Pro-
vinciam hanc, erudito illi auctori, cujus modo men-
tionem feci, ingenio suo ornandam, totam relinquo.
Quia vero in Epistola illa ad Ecclesiam Thyatirenam
plurimus de *Jezabele Prophetissa* sermo est, operam dabo,
A ut



ut ad argumentum hoc, fatis hucusque obscurum, aliquid si possim lucis adferam.

§. II.

Verba Apo- In Epistola hac Domini videmus primo laudari calypseos de & insigniter commendari, Ecclesiæ Thyatirenæ amo-
Jezabele rem & fidem, & liberalitatem in pauperes, & patientiam, & Thyatireno-progressus in bonis operibus. v. 19. Sed supererant tamen rissa addu- digna, quæ sic videmus exponi v. 20. Ἀλλ' ἔχω κα-
*cuntur & ἴσως, ὅτι * εἰς τὴν γυναῖκα τὴν ἰσάβελ, ἢ λέγει αὐτὴν* breviter ex-
προφῆτιν, καὶ διδάσκει, καὶ πλανᾷ τὸς εὐεὶς ἀλλας πορνεῦσαι, penduntur. καὶ φαγεῖν εἰδωλόθρυτα. Vulgatus interpres hæc ita latine reddidit. Sed habeo adversus te pauca: quia permit-
tis mulierem Jezabel, que se dicit Propheten, docere, & sedu- cere servos meos, fornicari & manducare de idolothytis. In
 sequentibus & Jezabeli ipsi, & sectatoribus ejus se- vera Dei judicia denuntiantur, de quibus quid certi dicam, vix ac ne vix quidem habeo. In prioribus vero verbis, quæ ex JOHANNES retuli, ipsam primo Thyatirenorum Ecclesiam reprehendi eo nomine videmus, quod Jezabeli, quæ Prophetissam agere volebat, majorem quam par erat dicendi & docendi libertatem nimis indulgenter permisisset, ejusque conatibus neque prudenter neque fortiter fatis se opposuisset. Jezabeli vero criminis loco à Domino duo exprobrantur, 1. quod Prophetissam agere, & publice docere ausa fuisset, dicebat enim se esse Prophetissam, & docebat. 2. quod Doctrinam introduxisset impiam, eaque

* De variis lectionibus, quæ hic in Codd. MSS. inveniuntur, operose non disputabo. Possunt eam in rem consuli Editiones MILLII & KUSTERI, ac insuper commentarius in h. l. C. VITRINGÆ. Ego lectionem secutus sum Codicum meliorum & probatissimarum Editionem, quam etiam vulgatus interpres expressit.



eaque plurimos à veritatis & pietatis tramite sedu-
xisset. Hoc est sermonis illius, quo Ecclesiam Thya-
tirensem castigat Dominus, argumentum. Quia au-
tem omne hujus rei momentum in eo situm est, ut
intelligatur, quæ qualisve fuerit *Jezabel* Thyatireno-
rum Pseudo-Prophetissa, age, quid de ea nobis vi-
deatur, paulo uberius explicemus.

§. III.

Et ante omnia quidem id necessario monendum *Præsupponi-*
est, me verba Christi ad Ecclesiam Thyatirenā ita *tur*, verba
accipere, ut sensus eorum literalis & proximus sta-*Apocaly-*
tum Ecclesiæ hujus respiciat, qualis re ipsa fuit eo *pscos*, respi-
tempore, quo Apocalypsin suam B. Johannes, *justu* *cere* *primo*
Domini conscripsit. Et si enim alios hic à me dissen-*Statum* *Ec-*
tientes æquissimo ferre possim animo, et si præterea *clesia* *Thya-*
ego nunquam negaverim, ea quæ de VII. Ecclesiis *tirena* *illius*
Apocalypticis dicuntur, simul quoque spectare ad uni-*temporis.*
versam Ecclesiam Christi, in certa temporum inter-
valla distinctam, ita ut septem illæ Ecclesiæ Asiaticæ,
imago quædam fuerint unius Ecclesiæ, quæ in succe-
dentibus Seculis, alium itemque alium vultum indu-
it, aliter tamen existimare non possum, quam ipsas
has Ecclesias, ad quas extant Epistolæ Apocalypticæ,
primo loco designari, earumque præsentem eo tem-
pore Statum vivis coloribus depingi. Ipse profecto
S. JOHANNES aperte docet, verba sua in hoc libro
ita intelligenda esse, quando istud Domini ad se
mandatum refert. *Scribe quæ vidisti, & QUÆ SUNT,*
& quæ oportet fieri post hæc. Apoc. I. 19. Idem quoque
testantur expressa urbium illarum, ad quarum Eccle-
sias B. Apostolus nomine Domini Epistolas misit, no-
mina. Erant certe omnes illæ urbes, magnitudine,
dignitate, aliisque prærogativis præstantes & incly-
tis maxime totius Asiæ minoris civitatibus annume-

randæ. Erant non ita procul ab Epheso, ubi ultimo Johannes noster docuit, remotæ. Habebant omnes, quod nemo facile in dubium vocaverit, Ecclesias Fidei Christianæ addictas easque illustres. Neque etiam Aligi ipsi hæretici, cum Apocalypsin suspectam reddere anniterentur, ausi sunt ullius ex his Ecclesiæ existentiæ in dubium vocare, præterquam Ecclesiæ Thyatirensis, ideo credo, quod aliquo post B. Johannis mortem tempore, sive ob graviolem Persecutionis furorem, sive ob aliquem forte terræ motum, sive quocunque demum alio casu, Ecclesia illic defecisset, ex quo concludebant hæretici, nunquam antea in urbe illa Ecclesiam fuisse. Quoniam igitur ad illustres illas Ecclesias Epistola Apocalyptica directæ erant, quis dubitabit, quin publice illic locorum lectæ & recitatæ fuerint? Quid vero Ecclesiæ illæ dicturæ fuissent, ubi se vel ob facta sibi plane peregrina laudari, vel ob crimina sibi omnino ignota reprehendi, & uno verbo ea, quæ scripta sibi essent, ad se tamen prorsus non pertinere intellexissent? Omnes porro Epistolæ sic scriptæ sunt, ut nonnisi de rebus præsentibus agere videantur, utque eas perlegenti vix possit suboriri suspicio, esse eas mera vaticinia de rebus multis demum Seculis post futuris. Et ita veteres quoque senserunt, illi etiam, qui discipulos B. Johannis viderant & familiari usu cognitos habuerant, etsi in eorum numero quoque reperiantur, qui sensum Mysticum ac Propheticum non excludendum esse velint, quorum iudicium neque nos improbamus.

§. IV.

Jezabel non significat omnes promiscue salios Doctores, Hucusque de consensu doctissimi juxta ac prudentissimi interpretis, C. VITRINGÆ gloriari possum. Sed ubi jam distinctius indicandum est, qualem nam Thyatirensium *Prophetissam*, nomine *Jezabelis* designatam hic cogitemus, à summi illius Theologi senten-



sententia discedere omnino cogor. Equidem & de *qui Eccle-*
eo persuasus sum, quod vir doctissimus recte urget, sicut Thy-
Jezabelis nomen non esse proprium, sed Mysticum, vel tunc in se m-
anigmaticum & allegoricum, adeoque Thyatiris nullam turbarunt.
fuisse, sic dictam magis, quam in aliis Ecclesiis, (illa nempe
Ephesiorum & Pergamenorum) Nicolaitas & Bileamitas
sic dictos. Nemo potius est, qui non lecta hac Epistola,
confestim ad Vetustam Jezabelem, impiam Achabi
regis Israelitarum conjugem, cogitationes suas con-
vertat, & ad facta ejus alludi inrelligat. Verum
quando mystico hoc Jezabelis nomine, designari non
mulierem quandam, sed falsos Doctores & Apostolos Eccle-
sie Thyatirenae VITRINGA arbitratur, calculum senten-
tia ejus adjicere non possum. Si enim, quod Theo-
logus ille post alios opinatur, per Jezabelem illi ipsi sub-
innuuntur, qui in aliis capitis hujus Epistolis, Nicolaita
& Bileamita nuncupati fuerant, cur illic de pluribus,
hic de una tantum persona Epistola loquitur? cur hic
mulierem, eamque unicam tantum nominat? cur vitio
*illi ducit, quod se *propheta* Prophetissam vendiderit, &*
docere publice sustineat? ubi quod jam semel mo-
nui, duo Jezabelis delicta bene omnino distinguenda
sunt, primo quidem quod doctorem agere voluerit,
cum hoc ipsi nulla ratione comperierit, & secundo,
quod ad ipsum Doctoris munus, superbo ausu sibi ar-
rogatum, Doctrinam adjuverit, à veritate abducent-
em & impiam. Quae omnia, quomodo cum senten-
tia viri magni rite conciliari queant, mihi ita non
liquet. Persensit dubio procul istam difficultatem
doctissimus vir, eoque ut eam tolleret aut saltem mi-
nueret, vult nos suspicari, latere forte hic tacitam
allusionem ad Jezabelem Tyriam, reginam Israelis,
quae probabiliter Prophetissa vel Sacerdos Baalis fuerit. Ver-
um enim vero, suspitioni huic id utique obstat,
quod hic re ipsa non ad Tyriam Jezabelem alluda-
*tur, sed de Jezabele Thyatirenorum praedicitur *tra-**

λέγει ἐαυτὴν προφήτην, καὶ διδάσκει, quod se ipsam Prophe-
tissam vendit et DOCEAT, quod Gentilium Prophe-
tissis & sacerdotibus facere moris non erat. Est vero
adhuc in universum improbable, Jezabelem sacer-
dotio Baalis fundam unquam fuisse. Neque vero
eruditissimum hunc virum juvat, quod ex JOSEPHO
& ipsis TYRIORUM ANNALIBUS adfert, *Ithobalum*
Jezabelis Patrem, Tyrique regem, *Sacerdotium Astar-*
tes obiisse, id enim neque Tyriorum, neque aliarum
gentium moribus, nemini ignotis repugnat. At Je-
zabelem Sacra Baalis procurasse, & cultum divinum
administrasse, non ita facile quisquam mihi persua-
debit. Apud Græcos quidem & Romanos, uti nec
minus alias Occidentis nostri gentes, Sacerdotiis mu-
lieres sapissime præfatas fuisse, res est omnibus no-
tissima. At longe aliter visum est Legislatoribus po-
pulorum Orientis, Ægyptiorum, Chaldæorum, Persa-
rum, Indorum, qui omnes administrationes Sacrorum
solis viris proprias esse voluerunt. Eadem omnino
fuit etiam ratio Syrorum & Phœnicum. LUCIANUS,
sive quisque auctor est libri *de Dea Syria*, multa illic
recondita profert de Phœnicum Numinibus, Templis,
sacrisque ritibus & ceremoniis, de pompis Sacerdo-
tum, aliisque rebus huc spectantibus. Sed in toto
libro mentionem fœminæ Sacerdotis nusquam reperias.
Id unum itaque superest, ut dicamus, * *Thyatira acci-*
disse, ut pravi dux fœmina facti, Christianorum aliquot fa-
scino suo à fide ad impuritates abduxerit.

§. V.

Neque Je- Fuit vir eruditissimus, cujus nomen ignoramus,
zabelis no- † qui conjecit, respici Epistola hac ad Mysteria Græ-
corum,

* Verba hæc sunt WITSII in Libro *de sensu Epistolarum A-*
pocalypiticarum Cap. III. §. 83. & in *Miscellan. Sac. Tom I.*
p. 694.

† Vide *Relationes innocentes Anni 1701.* pag. 16. 17. &c. &c.

corum, non sine luxuria, & lascivia plurima, ac omnis *mine des-*
denique generis impietate peragi solita, qualia in gnatur mu-
illis Asiæ Civitatibus, Ephesi, Smyrnæ, Pergami, licet sacris
Thyatiræ frequentissime celebrabantur, uti nec mi- idololatri-
nus ad insigniores illorum fautores & Promotores. cis Græco-
Credidit idem Jezabelis Thyatirenæ forte adhuc rû additæ.
 memoriam conservari in egregia Inscriptione, †† quæ
 inter reliquias veteris Thyatiræ, in vico, qui à Turcis
Akhisar appellatur, hodieque conspicitur, hunc in
 modum concepta.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
 Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
 ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ
 ΟΤΑΠΙΑΝ ΜΑΡΚΕΛΛΑΝ
 ΤΗΝ ΙΕΡΕΙΑΝ ΤΗΣ ΑΡΤΕ
 ΜΙΔΟΣ ΜΑΡΚΟΥ ΟΤΑΠΙΟΥ
 ΛΑΜΠΑΡΑΔΟΣΟΥ
 ΚΑΙ ΚΑΝΙΔΙΑΣ ΒΑΣΣΗΣ
 ΟΥΓΑΤΕΡΑ ΕΠΙΤΕΛΗ
 ΣΑΣΑΝ ΤΑ ΤΗΣ ΘΕΟΥ
 ΜΤΣΤΗΡΙΑ ΚΑΙ ΤΑΣ ΟΥ
 ΣΙΑΣ ΔΑΜΠΡΩΣ ΚΑΙ
 ΠΟΥΔΑΠΑΝΩΣ

&c. &c.

Quæ

†† Eam descriperunt, qui oras illas diligenter lustrarunt,
 RICAUTIUS, SMITHUS, SPONIUS, WHE-
 LERUS.

Quæ sic verti possunt.

Fortuna sacrum

Senatus Populusque

honorarunt

Ulpiam Marcellam

Sacerdotem Diana

Marci Ulpii Damaparadoxi

& Canidia Basse Filiam

Qua Mysteria Deæ

& sacrificia splendide

& sumtuose peregit.

Neque diffiteor, conjecturam hanc mihi semper & doctam & ingeniosam visam fuisse, meque in ea hætenus acquievisse. Habemus enim hic mulierem Thyatirensis, Sacerdotem magni Numinis, cui hoc laudi datur, quod idololatriam, spirituales fornicationem, omni ope adjuverit atque promoverit. Sed nunc tamen, ubi omnia lance justa & accurata expendenda sunt, hæc observatio, etsi elegans, dubia quædam movet, neque ad explicandam Epistolam nostram Apocalypticam, mihi ab omni parte satisfacere videretur, adeoque de alia explicatione cogitandum erit. *Ulpia* illa *Marcella* in cujus honorem Inscriptio adornata est, à *Johanne* in Apocalypsi tangi utique non potuit. Erat enim filia *Marci Ulpii Damaparadoxi*, qui nomen illud *Marci Ulpii* de quo dubitari non potest, in honorem *M. Ulpii Trajani* post initum ab ipso Imperium adscivit. Omnium vero consensu & confessione constat, *Johannem* Apocalypsin aliquamdiu ante *Trajanum* sub *Domitiano* in exilio *Pathmico* conscripisse. *Ulpia* præterea ea tantum in Inscriptioe hac tribuuntur, quæ ab omnibus Sacerdotibus, officio

officio suo rite functuris expectabantur, unde fit, ut similia in aliis Inscriptionibus non infrequenter legantur. Illud vero cum primis observandum esse duco, Jezabelem illam Johannis Thyatirensis, non posse à nobis in numero Gentilium censeri, tanquam quæ Sacra eorum publice professa sit, Myſteria impietatis splendide peregerit, & idolorum sacerdotio functa fuerit. Quid enim cum tali muliere Ecclesia Thyatirensium Christiana? Aut quo jure Ecclesia reprehendi potuisset, quod Sacerdoti Paganicæ permiserit ministerio suo fungi? An non jure merito Ecclesia reponere potuisset? *Quid enim ad me attinet, eos qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intus sunt, nos judicamus? Nam eos qui, foris sunt, Deus judicabit. Auferramus malum ex nobis ipsis.* 1. Cor. V. 12. 13. Quando hæc cogitatione persequor, aliter statuere non possum, quam designari ab Apostolo mulierem Christianam, quæ communionem Ecclesiæ affectaverit, quin imo in Ecclesia auctoritatem docendi sibi arrogaverit; sed & præterea doctrina periculosa & ad impietatem deducente gregem Christi inficere voluerit. Quo observato, nunc jam facilius erit, Jezabelem illam, de qua loquitur Epistola, nonnihil distinctius describere & designare, quantumvis fateri oporteat, historiam Ecclesiæ illius temporis multis densisque tenebris tectam & totam obnubilatam esse.

§. VI.

Quærenda igitur mulier, (sive una, sive etiam Jezabel fuit plures, perinde est) professione Christiana, sed quæ *Mulier* auctoritatem & potestatem publice in Ecclesia do-Christiana, cendi sibi vindicaverit, atque insuper Doctrinas Gen-e Secta Gno-tilium cum Sancta Religionis Christi Doctrina infe-ſticorum, lici vinculo sociaverit, eaque impura Doctrina multorum hominum animos fascinaverit. Hujusmodi

B

mulie-

uulierem vix alibi, tempore illo, quam in *Gnostico-
rum* secta reperiri posse asseveraverim. Huic profecto
notæ characteristica omnes, Jezabeli Thyatirenae
assignata examumssim conveniunt. Per *GNOSTICOS*
hic intelligo homines, * *Doctrinae Orientalium &
Philosophia Platonicae*, qualis cumprimis in Aegypto
tempore illo tradebatur, ultra modum addictos, fi-
dem Christi quidem professos, sed illius mysteria &
praecipuos articulos ex praconcepta sua Philosophia
Orientali Platonica dimetientes & constituentes.
Firmiter hi tenebant, solum Spiritum natura sua posse
esse bonum, corporis vero naturam per se esse ma-
lam, neque bonam evadere unquam posse, animam
vero corpori junctam, eo ipso ingentibus periculis
obnoxiam, & vere miseram esse. Hinc sequebatur,
Deum bonum materiae & corporis auctorem immedia-
rum nec esse, nec omnino esse posse. Sequebatur et-
iam, Christum Dominum verum corpus humanum non
assumpsisse, neque in eo vere natum, passum & mor-
tuum esse. Sequebatur porro, corpora credentium
aliquando resuscitatum nequaquam iri, sed veram &
beatissimam ipsorum resurrectionem nihil aliud esse,
quam perfectam & aeternam ab omni corporis com-
munionem liberationem. Res ipsa docet, & à viris
doctissimis *GROTIO*, *HAMMONDO*, *PEARSONO*,
VITRINGA, aliisque abunde demonstratum est, ge-
nus hocce hominum, Ecclesiae Christianae tempore jam
Apostolorum infestum fuisse, & ne horum quidem
auctoritate potuisse refranari. *PAULUS* certe Apo-
stolus, ad *γνώσιν Πευδάνου* falso cognominatam scientiam,
quam haeretici isti continuo crepabant, & in ore ha-
bebant, aperte respicit 1. Tim. VI. 20. 2. Tim. III. 6. 7.
Coloss.

* *Doctrinam illam Orientalium hactenus nemo elegantius
adumbravit, Beato ISAACO BEAUSOBRIO in Histo-
ria Manichaea passim.*

Coloss. II. 2. 3. 8. ut alia loca nunc præteream, in quibus eorundem hominum indolem & mores, sed obscurius, notat. In Doctrinam vero eorum de resurrectione corporis sigillatim invehitur 1. Cor. XV. 2. Tim. II. 16. 17. 18. Aliud autem ex dogmatibus eorum præcipuis, de carne vera humana à Servatore non assumta, JOHANNES Apostolus magno cum Zelo oppugnat 1. Joh. IV. 3. Tangit ibi Apostolus sine dubio *Docetas*, hæreticos vetustissimos, ita cognominatos, quod Servatori nostro non verum corpus, sed corporis quandam speciem tantum & umbram inanem tribuerent, quorum & numerus, & auctoritas per Asiæ minoris civitates quotidie nova incrementa capiebat. Liquido id ex IGNATII, qui B. Johanni non ita diu supervixisse videtur, ad Magnessanos & Smyrnæos Epistolis perspici potest. Is enim, uti nuper etiam** celeberrimus Historiæ Manichææ auctor observavit, non obscure subinnuit, *nobilissimos, & cum genere, tum auctoritate & opibus ex Christianis in Asia eminentissimos sectam Docetarum professos fuisse.* De Philippo etiam Apostolo memoriæ prodidit Pseudo-ABDIAS in Historia Apostolica, fabulosa quidem, sed ut plurimum tamen ex antiquissimis traditionibus desumpta, quod*** *in civitate Hierapoli in Asia commoratus, hæresin malignam Hebionitarum (ita per lapsum memoriæ hic vocantur Docetæ) extinxerit, qui dicebant, non verum hominem natum ex virgine Dei filium assumfisse.* Sed & PAULUS Timotheo, Ephesiorum Episcopo scribens, pestiferum hunc errorem designare, & Doctrinam pietatis illi oppositam commendare Discipulo suo videtur 2. Tim. II. 8. Iidem veritatis Evangelicæ inimici, in Epistolis Apocalypicis sub nomine *Nicolaitarum & Bileamitarum* reprehenduntur, eorum partes sequebatur etiam *Jezabel*, falsa Thyatirenorum Prophetissa.

B 2

§. VII.

** Mr. de BEAUSOBRE Hist. de Manich. Tom. I. p. 352.

*** Lib. X. c. III. p. 740. 741. Edit. FABRIC.

Sectæ Gnosticorum id proprium fuit, rem-pore jam A-postolorum, ut mulieres publice docerent. Huic itaque Gnosticorum & Docetarum Sectæ, de qua nunc paucis disserui, optime convenit, quod Jezebeli Dominus hic exprobrat, quod videlicet *se ipsam Prophetissam venditaverit, & docuerit.* Video eruditos viros, GROTIUM & * H. WITSIUM ad h. l. non male monuisse, & exemplis idoneis in medium allatis probasse, sapius inter hæreticos repertas fuisse mulieres, quæ Prophetiæ donum sibi arrogaverint, aut alio modo callidis artibus hærefes promoverint, atque latius propagaverint. Sed Gnosticis hæreticis id plane proprium fuisse deprehendo, ut mulieribus potestatem facerent publice docendi & Sacra in Ecclesia Dei administrandi. Præsertim vero honore hoc virgines matrimonio in universum renuntiantes dignissimas censebant. Quia enim per matrimonium & carnales libidines corpora hominum propagantur, quæ ex sententia Gnosticorum per se semper mala, ac tristitia animarum ergastula sunt, non poterant aliter quam sic colligere, statum vitæ perfectissimum, sanctissimum, Deoque gratissimum esse abstinentiam à matrimonio omnibusque operibus carnis. Quomodo-ocunque autem res hæc se habeat, illud ex historia Ecclesiastica certissimum est, mulieres illius Sectæ docendi & sacra administrandi munus libere & publice sibi attribuisse. Viderur hoc ipsum tempore jam Pauli Apostoli in Asia, ubi hæretici hi numero & potentia multum pollebant, obrinuisse. Id certe ex verbis hisce PAULI ad Timotheum in Asiam scribentis Ep. I. cap. II. v. 11. 12. ** *MULIER IN SILENTIO DISCAT cum omni subjectione. DOCERE autem mulieri NON*

* in Diatribæ de sensu Epistolarum Apocalypptiarum §. 83. pag. 693. Miscell. Sac. Tom. I.

** Simile tamen Præceptum PAULUS etiam Corinthiis tradit I. Cor. XIV. 34.

NON PERMITTO, neque dominari in virum; sed esse in silentio non infeliciter colligit vir Antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus J. E. GRABIUS, qui allatis hisce Pauli verbis tale subjungit iudicium. *** *Quid quaso hac instructione Timothei opus erat, nisi in Ephesina Ecclesia Femina sacrum istud munus ambiissent?* Deinde idem vir doctus ad nostram quoque Jezabelem Thyatirenam transit. Videtur equidem Ecclesia Ephesorum, laboribus Apostolorum plantata, cura Timothei & Johannis Apostoli rigata, ab hoc abusu, uti in uniuersum à potenti Gnosticorum hæresi pie & prudenter sibi cavisse, quo nomine in Apocalypsi laudatur II. 2. 6. & non ita diu post obitum B. Johannis ab IGNATIO Antiocheno in Epistola ad eandem §. 9. Sed in aliis tamen Asiæ Provinciis & Civitatibus, tempore etiam Apostolorum, ac Thyatiræ speciatim invaluisse, non est quod dubitem. Qua de re plura, uti auguror, exempla proferre possemus, si scripta Apocrypha EUCHII CHARINI **** magni hæreseos Docetarum Fautoris, quorum nonnulla tamen in Bibliothecis adhuc latent, ad manus nostras pervenissent. Superest tamen ex historia illius Apostolici ævi exemplum memorabile in Thecla virgine, cujus Acta à BASILIO SELEUCIENSI, uti jactatur, conscripta, eademque postea à SIMEONE METAPHRASTE compilata, PETRUS PANTINUS edidit. Sed antiquiora utique hisce, ejusdem Virginis Acta, typis vulgavit B. GRABIUS in *Spicilegio Patrum Seculi primi*, quæ forte sunt antiqua illa Acta, Seculo jam secundo Ecclesiæ nota, nisi quod videantur a posteriori manu ea omnia, quæ hæresin absurdam Docetarum aperte nimis sapiebant,

B 3

relecta,

*** In *Spicilegio Patrum* primi Seculi pag. 324.

**** Plura de hoc hæretico lectu dignissima, post GRABIUM & FABRICIUM concessit B. BEAUSOBIUS in opere immortalis. *Historiam Manichæam* intelligo Tom. I. Part. II. cap. II, III, IV.

refecta, alia interpolata, & alia denique addita fuisse. Auctor horum Actorum videtur fuisse aliquis Doctarum Discipulus, quinimo sunt rationes, quæ mihi persuadent, celebratam illam tot Encomiis veterum, & sanctorum Choro adscriptam, Theclam, in Gnosticorum vel Doctarum Secta Prophetissam egisse nominis celeberrimi. Sed rem hanc postea pluribus illustrare conabor.

§. VIII.

Id ipsum Post Apostolorum tempora, hæresis Gnosticorum, *aliis exem-* quæ hactenus furtivo gradu latentia incrementa cepe-
ptis, ex Hi- rat, caput audacius efferre, & numero discipulorum
storia Ec- valde aucta, in plurimas Sectas speciales, consenti-
clesiastica entes tamen inter se in præcipuis & radicalibus Do-
*peritis pro-*ctrinæ capitibus dividi cæpit. Omnibus tamen hisce
batur. Sectis id omnino proprium manit, ut auctoritati mulierum plus justo tribuerent, easque partibus Doctarum in Ecclesia publice fungi sinerent. Gnosticorum Doctrina certe imbutus erat, eorumque placita tenaciter servaverat *Marcion*, ejus hæresis & in Asia & per alia loca circa & post medium Seculi II. ingentes & propemodum stupendos progressus fecit. Mirum itaque nemini videri potest, quod moribus majorum suorum inhærens, singularem illam, qua virgines prosequabatur reverentiam, multis modis testatam faceret. Cum igitur Romam cogitaret invisere, *præmisit teste † HIERONYMO, mulierem, quæ decipiendo, sibi animos præpararet.* Quod quidem non temere & casu quodam fortuito, sed destinato animi consilio, & ut placitis Sectæ suæ obsecundaret, factum ab eo fuisse, testimonio EPIPHANII confirmari & illustrari egregie potest, qui observat, *Marcionem mulieribus baptizandi potestatem fecisse.* Græca quia singularem

† in Epistola ad Ctesiphontem, Tomo II. Epistolæ. fol. 171. a Edit. Francof.

larem vim hic habent, addo †† διδάσει καὶ ἐπιτροπήν
 γυναιξὶ βαπτισμα διδόναι, quibus verbis ad illa PAULI
 alludit, quibus ita decernit. ††† Γυναὶ διδάσκειν ἐν
 ἐπιτροπῇ. Mulieres vero illas fuisse virgines aut in
 coelibatu viventes, per se satis intelligitur, cum con-
 flet Marcionem * matrimonium lin universum, ** sal-
 tem in perfectioribus & Ecclesiae Ministris condem-
 nasse, & ne ad baptismi quidem Privilegia admisisse,
 *** nisi virginem, aut viduam, aut celibem, aut divortio baptisma
 mercatam. Ex Marcionis Schola prodiit Apelles Disci-
 pulus ejus, etsi in quibusdam diversum a magistro
 senserit, & peculiarem Sectam erexerit, qui quantum
 tribuerit revelationibus & visionibus *Philumena* suæ,
 † virginis *Demoniaca*, quam ut Prophetissam colebat,
 ex †† veterum testimoniis discimus. Aliquanto an-
 tiquior erat Hæresis *Cajana* ex Gnosticoꝝ lacu-
 nis derivata, obscura illa quidem, sed quæ tamen
Quintillam nobis ostentat, Prophetissam magnæ inter
 suos auctoritatis, ut quæ teste ††† TERTULLIANO,
 non modo jus docendi usurpaverit, sed Baptismum
 etiam destruere potuerit. Tempora Johannis Apó-
 stoli adhuc propius attingit *Carpocrates*, norissimum in-
 ter

†† In Hæresi Marcionitarum quæ est LI. §. 4.

††† 1. Timoth. II. 11.

* ita Veteres CLEMENS ALEX. Strom. Lib. III. p. 437.
 TERTULLIANUS adversus Marcion. Lib. I. c. 29. 30.
 Lib. V. c. 7.

** ita Dogma Marcionitarum explicari posse arbitratur B. BEAU-
 SOBRIUS Hist. de Manichee Tom. II. p. 121. 122.

*** TERTULLIANUS adv. Marc. Lib. I. c. 29.

† ita vocatur à RHODONE Apellis æquali apud EUSEBIUM
 H. E. Lib. V. cap. 13 & TERTULLIANO.

†† Vide EUSEBIUM l. c. TERTULLIANUM de Præscript.
 Hæres. c. 6. & 30. Adde auctorem veterem Appendicis ad
 illum librum c. 51. AUGUSTINUM de hæres. cap. 24.
 THEODORETUM Fabul. hæret. Lib. I. c. 25.

††† in Libro de Baptismo cap. 1, & 17.

ter Gnosticos nomen, cujus Schola fulcrum præcipuum fuisse videtur *Marcellina* scemina, multis veterum commemorata. Eam IRENÆUS testatur doctrina sua * *Roma multos exterminasse* quod EPIPHANIUS, qui græca Irenæi retinuisse videtur, sic expressit. ** *Πολλὰς τ' ἐνεὶς λομφομένη ἠΨάρισε* id est interprete PETAVIO. *Multos illic errore suo depravatos in exitium compulit.* Ecce genuinam antiquæ Jezabelis indolem! Addit etiam EPIPHANIUS, inde excitata esse Gnosticorum primordia. De his igitur sine dubio hæreticis accipiendum est, quod TERTULLIANUS observat. *** *Ipsæ mulieres hæretica, quam procaces! que audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere.* Quod postremum potuisset, non modo per conjecturam hariolari, uti fecit, sed & audacter affirmare.

§. IX.

Quæritur Cum igitur Docetarum Gnosticorumque Secta specialius, tempore Apostolorum & sigillatim Johannis fuerit in quo sensu Asia florentissima, cum Sectæ huic proprium fuerit, Jezabeli il- ut mulieres docerent, sibi que Prophetissarum & nolicitum suomen & auctoritatem arrogarent, an dubitari poterit, rit, Prophe- quæ Thyatiræ quoque tempore Johannis talis habita- taverit Prophetissa, ea que ipsa in Apocalypsi redarguatur? Character certe ille Jezabeli attributus, quod se ipsam Prophetissam dicat, & doceat, non modo Gnosticorum mulieribus egregiè convenit; sed ne aliis quidem convenire posse videtur. His vero quæ de Gnosticorum Prophetissis, ad explicandum nostrum Apocalypseos locum hæctenus disseruimus, non ad- versantur, quæ de Prophetissis veteris Ecclesiæ Judaicæ, Spiritu Divino afflatis, quarum solent à Judæorum

* IRENÆUS Lib. I. Cap. XXXVI. §. 6.

** in Hæresi Carpocratianorum, quæ est XXXVII. §. 6.

*** de Præscriptione Hæretic. cap. 41.

dozorum magistris † septem numerari, legimus, uti nec quæ de *Hanna*, quæ sub tempus Nativitatis Domini Prophetissam agebat, LUCAS Evangelista memoria prodidit cap. II. v. 36. Etsi enim hæc Spiritu S. impulsæ atque directæ, quædam sive in Ecclesiæ totius sive tantum in piorum quorundam usum eloquerentur, aut scripto consignarent, publico tamen docendi in Ecclesia munere functæ fuisse censendæ non sunt. De Prophetissis Ecclesiæ Christianæ Apostolicæ, quales fuerunt quatuor Philippi Evangelistæ filiae virgines *προφητισσαι* Actor. XXI. 9. idem plane dicendum esse videtur. Neque negaverim, prophetias hujusmodi piis mulieribus, à Spiritu Sancto suggestas, ab ipsis etiam in Ecclesia publice nunquam editas fuisse. Saltem re ipsa in Ecclesia Corinthiaca id fieri consuevisse, discimus ex 1. Cor. XI. 5. Utrum tamen consuetudinem PAULUS approbaverit, ambigit †† P. MOLINEUS, quia postea idem Apostolus rem hanc in posterum prohibendam esse duxerit 1. Cor. XIV. 34. addita hac ratione memorabili v. 35. *Turpe est mulieribus in Ecclesia loqui.* Sed quomocunque tandem res hæc se habuerit, id saltem certum plane est 1) Prophetias mulierum in Ecclesia referendas esse ad actus extraordinarios, qui locum non habebant, nisi intercederet speciale mandatum Dei, 2) mulieres illas de reliquo munere Doctorum publico functas minime fuisse. Itaque sarrum re&umque manet praeceptum Apostoli, quo mulieres à cura docendi excluduntur, quod Gnostici tamen violarunt.

C

§ X.

† Vide *Generam Megilla* Fol. 14. a. Locum habes etiam in B. ZELTNERI Dissert. de eruditione *Deboræ Prophetissæ*

§. 8. sunt autem septem illæ *Sara, Mirjam, Debora, Hanna, Abigail, Hulda, Esther.*

†† In *Vate* Lib. I. cap. 8.

§. X.

Transitur ad secundum *Jezebelis* *eharacterem, Doctrinam nempe haereticam,* *et quidem (1) ejus partem theoreticam.* Exposui hactenus primum Jezebelis Thyatirenae characterem, quod nempe Prophetissa videri voluerit, ac docendi auctoritatem sibi arrogaverit, & ex eo, nisi me omnia fallunt, deprehendi satis luculentum, designari mulierem, Docetarum vel Gnosticorum Sectae initiatam. Id vero insigniter confirmat character eidem mulieri adscriptus secundus, quod Doctrinam ausa fuerit propagare haereticam & impiam, *διδασκει καὶ * πλανᾷ τὰς ἰμάς δόξης, πορνεύσας, καὶ φαγεῖν ἰδωλόθυρα.* Docet & seducit servos meos; fornicari & manducare de idolothyris. Doctrina igitur Prophetissae Thyatirenae hic describitur ut *πλάνη, deceptio, & seductio animarum,* tendens ad earundem exitium aeternum. Doctrinae illius duas videmus constitui partes, quarum altera videtur theoriam, altera praxin Religionis Christianae spectare. *Theoriam* Doctrinae hujus puto designari per *fornicationem*, ad quam suos dicitur seduxisse Jezebel Prophetissa. Quomodo unquam autem vocem *fornicationis* interpretari hoc loco libeat, dubium vix cuiquam esse poterit, subinnui ea & castigari instituta *Nicolaitarum & Bileamitarum, sive Gnosticorum.* Nam si *fornicatio* turpia libidinosae carnis opera designare censeatur, nemo est quem latere possit, quam detestabiles quamque impurae voluptates Gnosticis quidem omnibus, sed multo maxime Nicolaitis atque Carpocratianis à Scripturis Ecclesiasticis exprobrari semper soleant. Ego tamen, qui Doctrinam adeo scelestam, ipsis Gentilibus abominandam, in Ecclesia Christiana publice & audacter promulgatam fuisse, difficulter credere possum, qui praeterea novi, eam placitis Gnosticorum fundamentalibus e diametro adversari, gravibus de causis adducor

* Ita reperio in quibusdam Editionibus, eamque lectionem aliis praefero:

adducor, ut existimem, significari hic fornicationem spiritualem, vel ut clarius mentem meam aperiam, Doctrinam Idololatriæ & falsæ religioni patrocinantem. Nam per *fornicationem* in Scriptis Prophetis sæpenumero intelligi idololatriam, & quicquid idololatriam nutrit, fovet, ac juvat, notius est omnibus, quam ut probatione ulla egeat. Criminis hujus utique rei erant Gnostici, illi præsertim, qui tempore Apostolorum, Ecclesiæ Christianæ se adjunxerunt, atque in illam Placita Philosophiæ suæ primi invexerunt. De illa Gnosticorum Doctrina, quæ nostra demum ætate ** à viris eruditissimis e genuinis suis fontibus erui multaque nova luce perfundi cœpit, prolixius differendi locus hic non est. Illud itaque nunc monuisse sufficiat, per infaustum vinculum, quo Gnostici Dogmata Philosophiæ suæ, cum Doctrina Christi in unum compingere allobarabant, id effectum fuisse, ut præcipui Fidei nostræ articuli, de mundo à Deo ex nihilo creato, de Jesu, vero Mariæ & Davidis Filio, ex sanguine nostro per matrem suam edito, proque nobis re ipsa passo, mortuo, & resuscitato, de Spiritu Sancto, à mittente Patre & à missō Messia distincto, & de resurrectione carnis, everterentur, eoque causa Philosophorum Gentilium, adversus revelationes verbi Dei, Religionemque Christianam pertinaciter defenderetur. Hoc ipso in animis Gnosticorum, etsi Christianorum, secreta tamen quædam ad superstitiones Gentilissimi propensio fovebatur, alebaturque, quam etiam verbis & factis prodere, non magnopere verebantur. Exemplum ejus quod dixi, capi potest ex Pseudo-HERMETIS TRISMEGISTI Pæmandro. Etenim auctor illius, e grege

C 2 primo-

** v. g. RENATO MASSUETO, in Prolegomenis ad Irenæum, MOSHEMIO in Institutionibus Historiæ Ecclesiasticæ. BRUCKERO in Historia Philosophica Tom. III. & IV. & nuperrime BEAUSOBRIQ in Historia Manichææ variis in locis.

primorum illorum Gnosticorum unus fuisse mihi videtur, quod etiam nuper à *** doctissimo viro observatum video. Et ille tamen ubique Deos suos, & alia quaedam Gentilibus propria crepat, quo & à suis intelligatur, & tamen a Gentilibus non improbetur. Idem etiam, & clarius adhuc, ex gemmis Basilidianorum & in genere Gnosticorum Abraxeis, uti vocantur, perspicere potest. Sed ea de re plura forte alias observabimus.

§. XI.

Pergitur Quae jam sequuntur, ad Doctrinæ Gnosticorum, (2) ad Do- & Prophetissæ eorum Jezabelis, partem *practicam* *doctrinae illius* *hæreticæ* *partem practicam.* *λοδύρα, ut de idolothytis manducarent.* Dicitur autem Servos Dei, id est, nominis Christi professores seduxisse *Φαρισαίων* *εἰδωλοθύτων*, Ubi nobis literæ ipsi inhære licet. Id tamen omnino monendum, per *manducationem idolothytorum* intelligi tum oportere † actum religiosum in honorem falsorum Deorum peractum, quo quis communionem suam cum Diis illis, & cum religione Gentilium profiteri censebatur, sive id faceret tempore persecutionis coactus, sive etiam alio modo & ultro. Quod quantopere, & merito quidem abhorruerit Ecclesia antiqua, ab ipsis Apostolis edocta & instructa *Actor. XV. 20. 29. 1. Cor. X. 28.* Veterum pene omnium testimonio satis constat. Sed hac idololatriæ specie Gnosticos secure & non illibenter se polluisse, scimus ex eorundem testimonio. De *Basilide*, quo vix quemquam Schola Gnosticorum celebriorem habet, testatur CASTOR AGRIPPA, scriptor pervetustus, ipsique Basilidi tempore aequalis, †† eum docuisse, quod *indifferens sit, victimas Diis inmolatas degustare.* Hos ipsos videtur TRYPHO Judæus

*** BEAUSOBRIO in Historia Manichæa Tom. II. passim.

† bene ille describitur à GROTIUS ad *Actor. XV. 20.*

†† Apud EUSEBIUM Hist. Eccles. Lib. IV. cap. 7.

dæus non ita diu post Christianis ac sigillatim JUSTINO MARTYRI exprobrare, quando ††† plures, ait, qui se Jesum prosteri dicunt, & Christiani nominantur, audio simulachris mactata manducare, & nihil se ex eo capere detrimenti dicere. Cui respondens Justinus: Ego quoque inquam quod ejusmodi extent viri - - - sed non Christi, verum seductionis Spirituum doctrinas docent. Verba græca ita sonant *διδόντες τοι ἀπό τῶν τῆς πλάτης κρεμάτων*. Quibus verbis ad locum nostrum Apocalypseo alludi videtur. Suffragatur his Scriptor ejusdem Seculi II. IRENÆUS, referens * de Basilide, eum contemnere idolothya, & nihil arbitrari, sed sine aliqua trepidatione uti eis. Alios secuti aevi Scriptores idem tradentes, quod ab antiquioribus acceperunt, non invitus praetereo, unicum hocce tantum moniturus, eadem plane de Carpocratianis etiam aliisque Gnosticorum Familiis literis prodita esse, in quo prolixè demonstrando, cum satis notum atque vulgatum sit, tempore & operabuti nolo. Nihil tamen verat, quominus manducationem idolothyorum, quæ Jezabeli exprobratur, sensu aliquanto laxiori pro aliis quibuscunque actibus accipiamus, quibus Numinibus fictis cultus aliquis exhibetur, sive verus, sive simulatus. Nominatur itaque actus religiosus unus isque solennis valde & frequens, & intelliguntur omnes alii, eandem rationem habentes, idemque significantes. Gnostici nempe imagines Deorum & in domibus suis habebant, & gemmis insculptas secum circumferebant, uti vel ex gemmis eorum Abraxeis abunde perspicitur, quamvis ex iisdem id quoque intelligamus, ipsos sub hisce veluti symbolis, Mysteria Religionis veræ occultare voluisse. Idem Solennitates Gentilium festivas una

C 3

quoque

††† JUSTINUS MARTYR in Dialogo cum Tryphone Judæo p. 253.

* Lib. I. adv. Haer. c. XXIV. §. 3. Edit. MASSUETI adde Cap. VI. §. 3.

quoque celebrabant omni laetitiae genere, uti ** IRENÆUS scriptum reliquit, quantumvis id inter suos more Christiano, & ad Religionem accommodato fecisse videantur. Vero dissimile non est, de hisce hominibus ADRIANUM Imp. *** in Epistola ad Ser- vianum scripsisse. *Ægyptum quam mihi laudabas, totam didici levem, pendulam, & ad omnia fama momenta volitan- tem. Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt: & de- voti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt.* Hæc cum ita se habeant, non adeo difficulter fidem adhibebi- mus veteribus, referentibus Gnosticos illos, si res ita tulisset, professionem Christi, ut Persecutionem evitarent, ad tempus abnegasse. Ita CASTOR A- GRIPPA de Basilide † testatur eum docere, quod indiffe- rens sit victimas Diis immolatas degustare, & persecutionum tempore licenter fidem abnegare. Quod, ut alios jam præ- termittam, auctor Appendicis ad TERTULLIANI Li- brum de Praescriptione cap. 46. ita exprimit. *Martyria negat esse facienda: Sed hæc de primis tantum Gno- sticorum Fautoribus, qui tempore Apostolorum, & forte aliquanto post, floruerunt, dicendum esse puto, idque cum Principiis eorum facile conciliari posset. Verum disputationem hanc in aliud tempus rejicio.*

§. XII.

Forte Je- zabel fuit Thecla, ve- Si quis ea omnia, quæ ex certis piæ Vetustatis monumentis hæctenus aliata sunt, rite pensitaverit, ambigere omnino non poterit, quin tempore B. Jo- hannis Apostoli, tales in Asia fuerint mulieres, qua- lem
rum enco- mjis cele- brata.

** adv. Haeref. Lib. I. cap. VI. §. 3.

*** apud VOPISCUM in vita Saturnini cap. 8. in Scriptoribus Hist. Augustae Tom. II. p. 719. 720.

† apud EUSEBIUM Hist. Eccles. Lib. IV. cap. 7.

lem ille Jezabelem Prophetissam Thyatirenses de-
pingit. Ego, ubi ad ea, quae de Thecla virgine,
eujus jam supra mentionem feci, memoriae prodita
sunt, animum appello, in eam fere sententiam con-
cedo, hanc ipsam in Epistola ad Ecclesiam Thyati-
rensem designari & coargui. Conjecturam propono,
cui, si cordatis eruditisque lectoribus displiceat, ipse
non magnopere inhærebo. Eam tamen ideo non pe-
nitentem negligendam esse credidi, quia argumentum
illud, quod in superioribus discussimus, non medio-
criter illustrat. Quod si auctori Actorum Theclae
antiquiorum, quae a GRABIO in Spicilegio Patrum
edita sunt, fidem adhibemus, liquet profecto, eam
Docetarum & Gnosticorum gregi esse adscribendam.
Ubique in Actis hisce commendatur Theclae studium
virginitatis, cum manifesto matrimonii contemptu
conjunctum. Si auctorem illum audimus, Paulus Ap-
ostolus, fidem Christi Iconiensibus annuntiaturus,
eo fere totam suam Orationem convertit, ut virgi-
nitatis dignitatem evehat, & hoc quoque est, quod
virginis haecenus Ethnicae animum ipsi conciliavit.
Quinimo, quod oppido mireris, ubi jam ad persecu-
tiones horrendas plane perventum est, miserae The-
clae propter amorem Pauli & Doctrinae ejus exan-
tandas, vix subindicatur, eam tot mala propter fidem
Christi perculisse, sed credi potius jubemur, haec omnia
non alia de causa ipsi obvenisse, quam quod aut ma-
trimonium honestum & legitime, conscia Parente,
contractum, postea detrectaret, aut alio modo cœli-
batum & virginitatem servare vellet. Haec omnia
manifeste redolent genium Docetarum, qui, ut verè
nuper observavit * vir de historia Ecclesiastica prae-
clare

* Mr. de BEAUSOBRE Histoire de Manichee Tom. I. Part. II
Liv. II. Chap. II. III. IV. V. VI. Vide tamen praecipue
p. 359. 388. 413. 414.

clare meritis, immodicum illud virginitatis studium omnium primi in Ecclesiam invexere, eamque ob rem fabulas plurimas, ac innumera miracula confinxere, quæ posthæc ab orthodoxis quoque bona fide admissa & firmiter credita fuerunt. Præterea & id auctor horum Actorum in animo omnino habuit, ut exemplo Theclæ, & auctoritate Pauli, mulieribus jura docendi & Sacra administrandi vindicaret. In ipsa Actorum Inscriptione dicitur Thecla *πρωτομάρτυς καὶ Ἀπόστολος*, *Protomartyr & APOSTOLA*, quod in aliis Actis BASILIO SELEUCIENSI tributis ita explicatur. *** Secunda ab Apostolis & Stephano Martyr fuit Thecla, ita ut quemadmodum Stephanus virorum, qui pro Christo certamen subierunt, dux fuit, ita Thecla mulierum, qua pro Christo decertavit, locum obtineat principem.* In illis Actis antiquioribus porro p. 110. 114. 115. refertur, Theclam semetipsam Baptismo initialle, idque iis circumstantiis, quæ Scholam Gnosticorum sapere videntur. Dehinc Paulus ipsi committit curam & munus verbum Dei docendi p. 115. quo munere functa esse deinceps legitur. Non absurdum erit cogitare, mulierem illam procedente tempore majorem semper auctoritatem acquisivisse, & exemplum præbuisse, quod Doctæ & Gnostici frequenter postea, ut supra vidimus, imitati sunt. Et quid pluribus opus est? nonne ex Veterum testimoniis perspicuum est, Acta illa Theclæ, quia referebant, ipsum Paulum Apostolum feminæ huic potestatem docendi permisisse, à Iohanne Apostolo condemnata, auctoremque eorum loco suo & dignitate motum fuisse? Testatur id TERTULLIANUS, qui eo ipso Seculo floruit, quo B. Iohannes mortuus est, in hæc verba. **** Quod si, quæ perperam Paulo adscripta sunt, ad licentiam mulierum docendi tingendique,*

** Edit. Patini pag. 6. fin. & c. II. II. II. II. II. II.

*** de Baptismo cap. 17.

que, defendunt: sciant in Asia Presbyterum, qui eam Scripturam construxit, quasi titulo Pauli ^{***} DE SUO cumulans, convictum atque confessum, id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Accedat etiam HIERONYMUS, quia testimonio Tertulliani modo allato in his lucem aliquam conciliat. † Igitur *πρεσβυτερος* Pauli & Thecla - - - inter Apocryphas Scripturas computamus. - - - Sed & Tertullianus, vicinus eorum temporum, refert Presbyterum quendam in Asia, *σπυδασιν* Apostoli Pauli convictum apud Johannem, quod auctor esset & confessum se hoc Pauli amore fecisse, ob id de loco excidisse. Ipsum Theclae factum, munera Doctoris sibi in Ecclesia attribuentis, neque ab his, quos adduxi, neque ab aliis veterum in controversiam vocatur. Neque etiam Presbyter ille, qui memoriam ejus rei literis mandaverat, eo nomine accusatur; sed quod tale factum, auctoritate Pauli Apostoli approbare aliisque commendare ausus fuisset. Eo ipso tamen, B. Johannem Fœminae hujus audax facinus, condemnasse, omnibus perspicuum esse potest.

§. XIII.

Dixi rationes, quibus me moveri passus sum, ut *Gnostici* Theclam, virginem veteribus magnopere laudatam, *memoriam* Docetarum & Gnosticorum Gregi annumerarem. *Thecla*, ut nit nunc alia ratio in mentem, quam lectoris æqui *Proto-Pro-* judicio libenter permitto. Inter Gnosticorum *gem-* phetissæ, in mas, quæ vulgo *Abraxæ* vocantur, quarum non pœ-gemmis suis nitendam copiam CHIFLETIUS & post eum Illustris *religiose* ser. MONTEFALCONIUS, vir de omnibus literis immor- varunt. taliter meritis, aeri insculptas ediderunt, reperio

D

aliquam,

*** significatur his verbis, auctorem illorum Actorum, ea quæ de Paulo refert, de suo addidisse & finxisse.

† de viris illustribus cap. 7.

aliquam, * eam ipsam quæ in Dissertationis hujus Titulo exhibetur, qua homines illi, nisi me opinio fallit, Theclæ memoriam conservare & veluti consecrare voluerunt. Facies hujus gemmæ altera oculis nostris subjicit mulierem, ætatis, ut apparet, proæctæ, totam velatam, sinistra manu, sive hastam sive virgam, dextra anulum aut circulum nescio quem tenentem. Si CHIFLETIUM commentatorem audimus, cernimus hic ** *Junonem, Deam velatam, & qualis in nummis, hastam tenentem ac pateram*, quod Numen Gnostici cum Numinibus suis patriis sociaverint. Credat hæc qui volet. Ego hic nulla Divinitatis indicia invenio, sed effigiem mulieris honestæ, cujus etiam nomen versa gemmæ nostræ facies exhibet. Sed præterea videor mihi etiam Prophetissæ quædam Symbola ac indicia hic observasse. Ad illa referri poterit velum, quod caput hujus mulieris obtegit. Quam in rem apponam verba eruditi cujusdam *** Scriptoris Angli, nobis hic insignem usum prææritura. *Dubitari non debet, quin Prophetissæ Montanistarum caput suum velo virginali texerint, † siquidem manifesto constet, eos ceteroquin etiam veli usum Strictæ & religiose observasse. Erat præterea constans mos Veteris Ecclesiæ, nixus præcepto Apostolico, ut mulieres Divinitus afflatae non nisi velata prophetarentur.* Quod de Prophetissis Docetarum ac Gnosticorum dicendum similiter est, idque tanto magis, quod ex Docetarum Scholis, Montanistæ Prophe-

* ea occurrit in Collectione CHIFLETII numero 105. & in MONTEFALCONII Antiquitate explicata Tom. II. Part. II. Tabula CLX. ad pag. 366.

** in Commentar. ad Gemmas Abraxæas pag. 135. 136.

*** Anonymus Auctor *historiæ Montanismi*, quæe prodiit Lond. 1709. Artic. IV. §. 3. p. 94.

† sine dubio auctor id colligit ex TERTULLIANI Montanistæ Libro *de virginibus velandis*.

Prophetissas suas desumisse prorsus videantur. Manu sinistra mulier illa tenet, non hastam, uti CHIFLETIUS putat, sed virgam, quam scimus, †† Prophetarum in Oriente, apud Ægyptios, Chaldaeos, & Persas, insigne certissimum fuisse, quod hodieque in antiquissimo ††† Monumento Persepolitano sapiuscule visitur. Dextra vero tenet annulum vel circulum, designantem forte compedes, quibus in Tormentis vincita fuerat, aut coronam veluti martyrii, quod perpeffa fuerat. Altera vero hujus gemmae facies hanc nobis inscriptionem exhibet

CAKAWE

COΦH

AAΩNAI.

Quod ad postremam vocem AAΩNAI attinet, est nomen Dei, quod in Gemmis Gnosticorum frequentissime legitur. Primum nomen Illustris MONTEFALCONIUS legendum censet CABAωΘ, quippe quod in hisce gemmis saepissime pariter occurrit. Sed ego existimo, esse nomen proprium illius Fœminae, cujus effigiem alterum latus ostendit, & quae hic COΦH sapiens nuncupatur. Sacloa vero vel Sacla hic est ipsissimum Theclae nomen. Theclam ajunt Veteres Iconio in Lycaonia oriundam fuisse. Lycaones autem utebantur, uti * alias probavi, Sermone Cappadocum,

D z

quem

†† Vid. GAULMINII notas ad auctorem Hebraeorum *de vita Mosi* Lib. 1. p. 235. Edit. Paris. Mr. de BEAUSOBRE Hist. de Manichae Tom. I. p. 99.

†† Effigiem illius dederunt CHARDINIUS & CORN. Le BRUIN in itinerariis, & MONTEFALCONIUS in Antiquitate explicata Tom. II. Part. II. p. 402. &c.

* in Dissertat. de Lingua Lycaonica §. XVII.

quem fuisse Syrium vel Assyrium impurum ** BO-
 CHARTUS credidit. Utrum ipse rem acu tetigerit,
 dicere non ausim. Gnostici tamen, qui frequens
 habebant cum Hebraeis commercium, nomen The-
 clae sic intellexisse & interpretati esse videntur.
 Potuit omnino nomen illud à Chaldaico תקל forma-
 tum esse, quod ponderare, trutina expendere significat.
 Dan. V. 25. Hebraei scribere solent שקל. Unde
 facile intelligitur, quomodo idem nomen & Thecla,
 & Sacla scribi & pronuntiari potuerit. Ego origi-
 nationem hanc veram esse, cum nemine contende-
 rim, censeo tamen, Gnosticos, quibus Iudaei multi
 admixti erant, eam tanto libentius probasse, quia
 Hebraei Talmudistae, voces שקל, libratus & ponde-
 ratus & שקול libratio, ponderatio, quae magnam cum
 ΣΑΚΑΩΕ affinitatem habent, ad prudentiam animi
 ac sapientiam transferunt, unde ipsis *** אנשי שקל,
 quasi dicas viros libratos dicuntur cordati & sapientes.
 Itaque Sacla Hebraeorum Sermone fere idem signifi-
 cat, quod Graece Σοφῆ sonat, sapiens, quemadmodum
 mulier illa in nostra Inscriptione nuncupatur. Vox
 haec ceteroquin Σοφῆ videtur quoque magistram, Do-
 ctorem Fœminam subinnuere. Hebraeis certe חכם
 σοφός, sapiens dicitur, Doctor, praeterea ac Magister,
 adeoque אישה חכמה, cui respondet ἡ σοφῆ, non
 modo sapientem, sed & magistram designabit. Aut igitur
 oppido fallor, aut cernimus hic imaginem The-
 clae, à Gnosticis conservatam & ad nos transmissam.
 Illam honorabant ut Apostolam & Protomartyrem, ut
 primam Scholæ suae Prophetissam quaeque docendo vi-
 tam transegisset, ac ad senectutem summam perve-
 nisset, uti in Actis Grabianis legitur. Cumque sole-
 rent,

** in Phaleg. col. 525.

*** Vide BUXTORFII magnum Lexicon Talmudico-Rab-
 binicum in שקול. Col. 2514.

rent, Gnostici sicuti tradunt † veteres, antiquissimorum suorum & dilectissimorum magistrorum imagines sollicitè custodire & reverenter colere, quid mirum est, eos huncce honorem etiam Theclæ suæ Apostolæ exhibere voluisse?

§. XIV.

Supra observavi, celeberrimum MONTEFALCONIUM nomen hoc $\text{C}\alpha\text{K}\lambda\alpha\text{N}\epsilon$ legere $\text{C}\alpha\text{B}\alpha\text{N}\theta$, quod nemini, qui in legendis gemmis illis Gnosticorum operam aliquam posuit, mirum videri poterit. Eadem litera κ modo ut μ , modo etiam ut β legenda & pronuntianda est. Et aliis quoque modis in permutandis literis & corrupendis nominibus iustabant illi homines, sive in eo nugas quasdam Cabbalisticas affectarent, sive id agerent, ut Mysteria sua, nonnisi initiatis penitus perspecta, aliis aurem obscura essent. Itaque ex *Thecla* fecerunt *Saclam*, & illud ipsum nomen etiam *Sabla* legi & pronuntiari poterat. Forte hoc erat nomen mysticum, quo suis potissimum nota erat. Ad quod quam prope accedat nomen *Jezebelis* à JOHANNÉ Usurpatum nemo est, qui non videat. Unde aliqua ratio reddi poterit, quam obrem Apostolus nomine hoc ad vetustam *Jezebelem* aludere voluerit. Plura erant, quæ addi potuissent. Aliquid etiam de iudicio Thyatirenis denunciato subnectere animus erat. Sed modum omnem jam excessi Quæ igitur forte supererant, in aliam commodam occasionem differuntur.

Conclusio.

† IRENÆUS Lib. I. c. XXV. §. 6. EPIPHANIUS Hæres. XXVII, §. 6. AUGUSTINUS de Hæres. cap. 7.


ANNEXA.

ANNEXA.

- X 309 5773
- I. Apocalypsin S. Johannis Apostoli, pro libro indubio Canonis N. Testamenti agnoscimus.
 - II. Omnes enim Characteres auctoritatis Divinae, qui ulli alii ex Libris N. T. assignari possint, Apocalypsi, eodem modo inesse, demonstratu non difficile est.
 - III. Habet etiam Testimonium universalis Ecclesiae Christianae, quale ad demonstrandum *in Verbo* Libri Canonici necessarium videri potest.
 - IV. Omnes Scriptores Ecclesiastici, qui post editam à Johanne Apocalypsin in Ecclesia floruerunt, usque ad finem Seculi II. de Apocalypsi nunquam aliter loquuntur, quam de libro Canonico.
 - V. Neque illius rei contrarium exemplo ullo potest ostendi.
 - VI. Habemus etiam Testimonia Ecclesiarum integrarum, quod Apocalypsi, ceu Libro Canonico perhibent.
 - VII. Neque etiam haeretici sunt excipiendi, quippe quorum plerique Seculo II. ne de aliis dicam, Apocalypsin reverenter admiserunt, etsi placitis suis nonnunquam valde contrariam.
 - VIII. Primus omnino, qui inter Catholicos Apocalypsin rejicere ausus fuit, est Cajus, Presbyter Ecclesiae Romanae valde celebris, qui circa finem Seculi II. floruit, vir ingenii audacis, qui etiam alios libros ex Canone excludi voluit.
 - IX. Etsi autem Cajus ille, ad tuendum sententiam suam, speciosis argumentis usus esset, etsi quoque permagna esset ejus auctoritas, vix tamen toto Seculo III. repertus est unus aut forte alter, qui iudicio ejus subscriberet, idque nonnisi timide & cum verecundia.
 - X. Itaque non nisi à Seculo IV. à quibusdam de auctoritate illius Libri addubitari coepit, postquam nonnulli magnae auctoritatis viri argumentis Caji nihil tribuissent.
 - XI. Rationes tamen Caji nihil solidi habent, quinimo nisi illas manifestis erroribus, demonstrari facile potest.
 - XII. Neque vero majus pondus habent, quas post Cajum alii rationibus ejus addere voluerunt.
 - XIII. Dici itaque potest, Ecclesiam semper Apocalypsin recepisse, etsi illius iudicium nonnunquam aliqui deestretaverint sequi.

TANTUM.





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

55 67

Π i
771

7736

D. B. V.
DE

JEZABELLE THYATIRENORUM PSEUDO-PROPHETISSA

ad Apocal. II. 20.

PRÆSES

PAULUS ERNESTUS JABLONSKI,


S. S. Theol. Doct. & Professor P. O.

ET

RESPONDENS

JOHANNES CHRISTOPHORUS SACHSE,

Berolinas S. S. Th. C.



publice different
IN AUDITORIO MAJORI
D. XVIII. Mart. MDCCXXXIX.
Hora X. matutina.

Francof. ad Viadr. Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX.